

adhuc vigeat Roma, & tum sequetur, hodieque esse catholicam. Quod si doctrina catholica sumitur pro alligata ad certam sedem, ex qua sola in universum mundum exire debeat, quod quidem volunt Pontifici, ipsa statim prima consequentia nullius momenti. (3.) Rectè opponitur Pontificiis fides Thessalonicensium, 1. Thess. I. 8. quæ etiam in omnem locum exiit; neque tamen catholica in sensu Pontificio dicenda, nec hodiè apud Thessalonicenses vicens. Confer. D. Balduin. l. c. D. Weller. in h. l. Atque sic prima thesis ad Oracula Romano-Paulina est exacta, quam in Compendio B. Hutteri metrico Poëta Christianus, M. Georg. Leuschnerus, Scholæ Colditiensis olim Moderator, nobis exhibet sequenti disticho:

Quòd DEUS est, constat: quòd & est essentia is unus,
Personæ trinus, littera sacra docet.

THESIS II.

DEVS (1) ratione essentia est essentia Spiritualis, intelligens, æterna, verax, bona, pura, iusta, misericors, liberrima, immensæ potentia & sapientia.

Ex. Theol.

§. 1.

A

fferitur hac in thesi aliqualis Dei descriptio, quia perfecta eius definitio, quæ genere & differentia specifica propriè sic dictis constat, à nobis dari nequit. Et quidem genus propriè dictum DEVS non habet, illud enim cum speciebus & individuis suis multiplicatur; nec conceptum objectivè univocum cum ullo ente alio communem habet, nec differentia specifica propriè dicta eidem tribui potest, quæ ex Aristotele 6 Topic. 6. 9. 14. neque includit speciem, quam constituit; nec etiam genus illius speciei sed aliquid præter genus & speciem est, hac autem ratione aliquid poneretur

DEVS ratione Essentia